


De Sectarum Philosophicarum Scriptoribus Græcis Potioribus : Dissertationem Posteriorem

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1710]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002562406>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 15.Jan. 1710

Roll, M.Reinh.Henr.



Q. D. B. V.

DE

**SECTARUM
PHILOSOPHICARUM
SCRIPTORIBUS GRÆ-
CIS POTIORIBUS**

DISSERTATIONEM POSTERIOREM
IN ILLUSTRIS ACADEMIÆ MECKLENBURGENSIS
AUDITORIO MAXIMO

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ consensu

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO AC PRÆCELLENTISSIMO,

**M. REINHARDO HEN-
RICO ROLLIO,**

*Fautore, Præceptore atque Cognato suo, omni
honoris cultu ac atatem prosequendo,*

D. XV. JAN, M. DCC. X.

Publicæ placidæque Eruditorum disquisitioni
modeste submittit

RESPONSURUS - AUCTOR,

FRANC. THEODORUS TORCKIUS,

Tremonia Westph.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Amplissimi
Senatus Typographi.

Illustris longeque celeberrimi

ARCHI-GYMNASII TREMONIANI

*GYMNASLARCHÆ EXCELLENTISSIMO,
SCHOLARCHIS GRAVISSIMIS,*

reliquisque

DOCTORIBUS & LECTORIBUS

Clariffimis,

Dominis, Patronis, respectivè Præceptoribus,

*Agnatis ac Fautoribus suis, perpetuo honoris &
amoris cultu devenerandis,*

*in sui suorumque Studiorum commendationem
præsentem Dissertationem*

D. D. D.

*Celeberrimorum & Clarissimorum
Nominum eorundem*

Cultor devotus

AUTOR



I. N. 7.

PRÆFAMEN.



Nus alterqve præterlapsus est mensis, quando tuum subiit conspectum, benevole Lector! de potioribus Sæctarum Philosophicarum Scriptoribus Græcis qualiscunqve Dissertatio. In cujus cum præmio fidem fecerim, non longo post tempore reliquos ad hanc classẽ referendos Scriptores in scenam memet producturum; istius nunc memor, posteriorem tibi Dissertationem exhibeo, trigæ Scriptorum priori, DIOGENI nempe Laërtio, EUNAPIO Sardonio & HESYCHIO Milesio, bigam eorundem addentem, PLUTARCHUM scil. Chæronensem & PHILOSTRATUM Lemnium. Mens equidem fuerat, tres quoqve in secunda hac Dissertatione Sæctarum Scriptores percensere; sed cum inopinatò patriam repetere jubear, tertius suo nunc quidem est loco relinquendus. De methodo quicquam addere supervacaneum duco, cum, quæ antea placuit, impræsentiarum quoqve observetur. Nil ergò restat, quàm ut, ad propositum venturi, calidissimis DEum suspiriis fatigemus, velit ille Gratiâ suâ nobis adesse, ut hæc quoqve opella vergat in sanctissimi Nominis ipsius gloriam nostrumqve emolumentum!

A 2

CAP.

CAPUT IV.

DE
PLUTARCHO CHÆRONENSI.



§. I.

Atione Bœotum, patriâ Chæronensem hunc, de quo agimus, Plutarchum exstitisse, hoc magis dubio caret, quò certioribus indiciis ex ipsiusmet operibus illud cognoscimus. Lege præ cæteris lib. IX. Sympos. q. 1., de curiositate cap. I. & lib. de Romanorum fortuna &c. Conf. Mart. Hanckium de Scriptoribus Rer. Rom. P. I. c. XII. §. I. p. 81. 82. Altioris verò res videtur indaginis, quænam in tempora ætas ejus incidat, cum primore intuitu variare circa illam deprehendantur Scriptores. Afferit etenim Suidas in Lexico, Trajani temporibus, & ante eundem exstitisse; Photius in Bibl. cod. CCXXV. Neronis eum ætate vixisse. Sed isti nusquam sibi contradicunt, dummodò observetur, integram Plutarchi ætatem à neutro determinari. Id verò si fieri debeat, dicendum puto cum celeberrimo viro, Jo. Alb. Fabricio, Bibl. Græc. lib. IV. c. XI. §. I. p. 333. *quod natus fuerit Plutarchus circa decimum Claudii Imperatoris, respondentem anno Christi quingvagesimo, obierit autem quarto vel quinto Hadriani, circa A. C. CXX.*

§. II. Sub Claudio quidem Cæsare natum disertè scribit Vossius de Hist. Græc. lib. II. c. X. Cui asserto eò promptius fidem adhibemus, quò certius est, sub Claudium sequente Nerone literis nostrum jam fuisse institutum. Audiamus ipsummet lib. *πρὸς τὸ ἐν τῷ ἐν Δέλφοις* c. II. interp. Xylandro: *Quæ, inquam, quò tempore Nero apud Delphos est peregrinatus, eòdem in loco eademque questione obortâ Ammonium disserere audiveramus.* Et in Antonii vita, ubi matricidii Neronis his verbis meminit: *Agrippina, quæ filium ex Ænobarbo L. Domitium habebat, nupsit Claudio Cæsari. Hic adoptavit Domitium, quem Neronem Germanicum dixit. Is, imperans nostrâ memoriâ, interfecit genitricem suam recordiâque & amentia penè Romanum evertit imperium, ab Antonio in successione numero quintus.* Sub sequentibus Imperatoribus vixisse Plutarchum nullâ

nulla indiget probatione, modo demonstratum fuerit, Trajano ab A. C. XCVII. ad annum usque CXVII. imperii habenas tenente vitales adhuc eundem traxisse auram. Id verò vel ex eo manifestum esse censeo, quod optimo huic Imperatori Apophthegmata Regum & Imperatorum dedicaverit, quem initio statim cap. I. interpr. Xyandro sequentem in modum alloquitur: *Antaxerxes, Persarum Rex, Trajane Caesar, Imperator maxime, existimans, non minus regiam majestatem decere, & humanitatem, parva benigne alacriterque accipere, quam magna largiri, cum sibi iter facienti operarius quidam ac plebejus homo utraqve manu hauserit & profluente aquam (quia nihil habebat aliud) obtulisset, hilariter vultu accepit munus, non usu rei oblata, sed studio dantis metiens.* Quinimo præceptorem laudati Imperatoris fuisse Plutarchum, à quo consulari dignitate ornatus fertur, haud obscure colligitur ex epistola ad Trajanum (de cujus tamen *γρηγορίων* non pauci dubitant) præceptis politicis præfixa, in qua hoc cernitur alloquium: *Tue itaque virtuti congratulor & fortunæ meæ: si tamen rectè (principatum) gesseris, quem probe meruisti. Alioquin & Te periculis & me detrahentium lingvis subiectum iri non dubito: cum & ignaviam Imperatorum Roma non ferat & sermo publicus delicta discipulorum refundere soleat in præceptores.* Trajanus A. C. CXVII. successorem nactus est Hadrianum. Sub hoc verò superstitem adhuc fuisse nostrum, Hieronymus in Eusebiano Chronico ad Olymp. 224. annum 3. Abrahami 2135. Hadriani 3., id est, Urbis 871. Christi 119. his verbis confirmat: *Plutarchus Charoneus & Sextus & Agathobulus & Oenomaus Philosophus insignes habentur.* Vide Hanckium l. c. P. I. c. XII. p. 83. seqq. & P. II. c. XII. p. 250. seqq. Ultra Hadriani ætatem vitam an produxerit Plutarchus, indicio satis idoneo non potest ullo colligi. Afferit eque magnus Vossius (Hanckio quoque P. II. c. XII. p. 252. citatus) loc. all. & hunc haud dubie secutus Leon. Cozzandus de Magisterio antiquorum Philosoph. lib. I. cap. IX. p. 103., sub *Antonino Pio Apollinis Pythii sacerdotem factum*, & probat uterque ex libro ejus: *An seni sit gerenda Respublica?* Sed neminem eo ex opusculo istud exsculpturum sum persuasissimus, ut in quo (T. II. Opp. p. 792.) nihil dicatur à Plutarcho præter id, quod *Apollini Pythio multis solennitatibus operam navaverit.* Sub Hadriano itaque & eò quidem, quo dictum, tempore, ad plures abiisse Nostrum statuis, usquedum firmiter argumentis demonstratur, illi defuncto adhuc eundem fuisse superstitem.

§. III. Sectam quam fuerit secutus Plutarchus, si quæramus eum Cozzando, respondebit is, Platonica doctrina fuisse alumnum. Hunc enim in modum l. c. p. 102. suam hac de re sententiam pronunciat: *Plutarchus natione Bœotius, patriâ Chæronensis, Academicus fuit, Stoicis & Epicureis maximè iniquus.* Verum licet inficiari nequeam, non paucis in dogmatibus Platonis eum insistere vestigiis; Id certè largiri Cozzando non possum, eadem sic premere nostrum, ut nunquam illa deferat. Proinde cum haud raro Aristotelis sequatur placita (unde & Georg. Hornio Hist. Philos. lib. IV. c. VI. p. 259. edit. Lugd. Batav. MDCLV. 4to. *peripatetica philosophiæ amator* audit; quod tamen si exclusivè intellexit vir doctus, pro falso habendum) atque ex aliis quoque sanæ rationi congruere sibi visa passim arripiat, eclecticum haud immeritò dicendum putaverim. Video consentire mecum Excell. Fabricium l. c. p. 330. seq. *Sectam Philosophorum, inquam, nullam ita coluit, ut non ex aliis lubenter arripiat, si quid verius meliusq; ipsi videretur. Non ferens Stoicorum paradoxa, sed magis etiam inimicus Epicureorum irreligiositati, in multis rebus Aristotelem sequitur, Platonem in plerisque, & in rebus difficillimis intellectu cum Academicorum schola non infrequenter cohibet consensum.* De cætero Christianum non fuisse Plutarchum omni dubio caret. Nec metuendum sententiæ huic quicquam ex eo periculi, quod nonnulla de DEO rebusque divinis suis admisceat libris. Ita enim sunt illa comparata, ut vel è recto rationis dictamine, vel Pythagoræ vel Platonis aliorumque scriptis hauriri faciliè potuerint. Vide Fabricium p. 331. Non defuerunt tamen, qui Christianorum choro eum adscriberent. Quod cum Veterum nonnulli fecerunt, tum è recentioribus cum primis tentavit Theod. Vietor, in Marpurgensi Acad. Græc. quondam Ling. Prof., in Analyf. Plutarchi libelli *περί παιδων ἀγωγῆς* pag. 181. edit. Lichenf. MDXCVIII. 8. (apud Thom. Crenium Fasce I. Exerc. Philol. histor. ed. Lugdun. MDCXCVII. 8. p. 312.) scribens: *Causa efficiens utilissimi iuxtaque elegantissimi hujus de educatione liberorum libri est Plutarchus, discipulus Origenis primus, qui per ipsum conversus ad fidem nostram (ut cum Eusebio loquar) non solum perfectæ vitæ instituta servavit: verum etiam (quæ est summa beatitudinis) martyrii consecutus palmam. Ideoque re & nomine πλετάρχος, quasi dicas: divitiarum princeps, appellatus esse non immeritò videatur. Namque ut Poëta canit:*

Conveniunt fati nomina sæpè suis.

Sed

Sed errat graviter vir doctissimus, dum Plutarchum Origenis, quem integro amplius seculo antecessit, discipulum constituit. Alius longè est Plutarchus, præceptore gavifus Origene, memoratus Fabricio l. c. §. VI. p. 371., quo cum perperam ille nostrum confudit.

§. IV. Jam quantum vir fuerit Plutarchus, quorundam eruditorum hominum iudiciis ostendere adlaboranti primo statim loco occurrit Theodori Gazæ elogium, quod sequentibus commemorat Guil. Xylander in Vita Plutarchi, hujus Operum Tomo I. præfixa: *Præclara est Theod. Gazæ, hominis doctissimi & antiqua Græciâ digni sententia, qui interrogatus (ut accepimus) à familiaribus suis, quemnam ex omnium scriptorum numero delecturus foret, si cæterorum omnium amittendorum incumberet necessitas? Plutarchum, respondit: sentiens, à nemine quoque plura ac magis varia, utiliora & etiam ad oblectationem animi facientia edita esse volumina.* Dignum quoque Plutarcho Eunapii est effatum, quo libri de Vitis Sophistarum præfatione τῆς Φιλοσοφίας ἀπίσθησι Ἀφροδίτην καὶ ἄρην, totius Philosophiæ venerem & Iyram eum appellat. Gellius Noct. Att. lib. IV. c. XI. p. 155. edit. Lugd. MDLXXXV. 12. hominem vocat gravi in disciplinis autoritate. Itatorum doctissimus, Pet. Victorius Variar. lect. lib. XXIII. c. XXI. apud Hanckium l. c. P. I. c. XII. art. III. §. II. p. 86. gravem eruditumq; in primis scriptorem. Heinsius alicubi in Orationibus, citatus Joach. Pastorio in Palæstra Nobilium, apud Crenium Methodorum Tom. II. p. 311. Compendium eruditionis, prudentiæ thesaurum, antiquitatum utriusque gentis quendam Delium Apollinem. De eodem M. A. Muretus Vol. II. Orationum, num. XV. Quis post Plutarchum existit, qui vere ac solida eruditionis copia & varietate ita cum eo comparari queat, ut non longissimo intervallo absuturus ab eo sit, quemcunque illi proximum esse volueris? Quem ille Poëtam veterem, quem Oratorem, quem Historiæ scriptorem non ita triverat, ut edidicisse videretur. Quam philosophiæ partem non ita tractaverat, ut nemo postea tantum in una eminuerit, quantum ille in omnibus? Justus Lipsius in Notis ad lib. I. Polit. c. IX. §. XII. cit. Hanck. l. c. §. V. p. 87. Dignus (Plutarchus) si quis alius, Principe scriptor. Qui iudicium mirifice format & diffusâ ac planâ quadam scribendi viâ ad virtutem ubiq; & prudentiam ducit, sed ad illam magis, & nisi fallor, melior omnino quam acutior doctor. Thomas Campanella Synagm. de libris propriis & recta ratione studendi c. IV. art. X. apud Crenium

nium

nium Methodorum Tom. II. p. 217. *Plutarchus superat omnes scriptores dicendi methodo & utilitate ac varietate doctrine.* Illustris Jo. Henr. Böclerus Hist. Sec. I. Sect. V. p. 73. edit. Sedin. M. DC. XCIX. 8. *In Philosophia non tantum laudandus est (Plutarchus), sed planè admirabilis, quantum enim ille ex antiqua Philosophia nobis conservavit notum est, de qua, si absque eo fuisset, nihil sciremus. Valde quoque commendandus ab eloquentia, unde Galli ejus sunt studiosissimi.* Summus Vossius loc. all. Fuit Plutarchus vir undecunqve doctissimus, idem philologus, philosophus & historicus summus. Magnam enim horum trium scientiam undiqve ejus scripta spirant. Quin habitus etiam fuit Orator bonus. Itaque Himerius laudatione funebri filii sui Rufini, cum dicere vellet, quam præclaram de filio suo spem concepisset, sperasse se ait, Minuciano fore vehementiorem, Nicagorâ graviorem, Musonio sapientiorem, Sexto fortio-rem, Plutarcho disertio-rem ac quibusqve oratoribus, qui antea vigerent, clario-rem & melio-rem. Auctor Photius Biblioth. cap. CCXLIII. Tamen dissimulare non possum, dictionem ejus gravem quidem esse, sed duriusculam videri. Verum leviculum hunc defectum multijugâ adeo scientiâ abundè summus vir compensat. Plura reperies apud Roland. Marefium I. Epist. XXIV. p. 103. edit. Lips. M. DC. LXXXVII. 12., Hanckium P. II. c. XII. §. XLV. seqq. p. 262. seqq., Fabricium l. c. p. 332. seq., Königium in Bibl. p. 649. b., alios.

§. V. Jam ad princeps, cujus gratia hætenus de Plutarcho disserui, negotium me accingo, visurus, quænam scripserit idem ad Philosophorum sectas cognoscendas aliquod momentum adferentia. Varia quidem sunt illa, sed potiorum tantum habituri rationem, primo loco producimus *Vitæ parallelas*, sic dictas, quod in iisdem illustriores inter Græcos cum Romanis contulerit Autor. Quamvis autem in his ipsis illi potissimum occurrant, qui ad clavum Reip. sederunt, quorundam tamen simul Philosophorum Vitæ, mores & dogmata curiose pariter ac prolixè recensentur, quemadmodum vel ex sequenti eorundem catalogo patescit. Commemorantur enim Theseus, Romulus, Lycurgus, Numa, Solon, Poplicola, Themistocles, Camillus, Pericles, Fabius Maximus, Alcibiades, Coriolanus, Timoleon, Paulus Æmilius, Pelopidas, M. Marcellus, Aristides, Marcus Cato, Philopœmen, Flaminius, Pyrrhus, Cajus Marius, Lyfander, Sylla, Cimon, Lucullus, Nicias, Marcus Crassus, Q. Sertorius, Eumenes, Agesilaus, Pompejus, Alexander, C. Julius Cæsar, Photion,

mo t

cion, Cato minor, Agis & Cleomenes, Tiberius & Cajus Gracchi, Demosthenes, Cicero, Demetrius, Antonius, Dion, Brutus, Artoxerxes, Aratus.

§. VI. Summoperè has vitas deprædicant eruditi. Erasmus Roterodamus in dedicatione apophthegm. apud Crenium Method. Tom. II. p. 193. easdem opus egregie frugiferum appellat. Joach. Pistorius in palæstra nobilium §. XI. apud eundem l. c. p. 289. librum multifariæ frugis. De eodem opere magnus Jo. Caselius c. XXV. *Προπλ. πικῆ* p. 126. Plutarchus vitas scripsit principum Græciæ & populi Romani inter se comparatas, quæ sunt plures diversorum temporum & gentium historia, etsi ad singulorum res gestas ipsi respiciendum fuit. Hic vero scriptor gravissimus tum in aliis libris hoc agit sedulo, ut lectorem neutiquam à consiliis inanem, sed semper meliorem etiam dimittat: tum in his ipsis in id potissimum, nō fallor, incubuit, ut cujusq; mores & animum informaret & prudentiæ civilis opes in nos transfunderet. Discendus ergo videtur cum omnibus aliis & præ multis aliis. Herm. Crusenius in Dedic. hujus operis ad Philippum Hispaniarum Regem: *Nullum reliquit excellentius opus Vitis, quas invicem comparat, illustrium virorum Græcorum & Romanorum.* Plura lege in Vita Plutarchi à Xylandro parallelis præmissa, Jo. Andr. Bosii Diss. Ifag. de comparanda prudentiâ civili §. XXIX. & Thom. Campanellæ Syntagm. de libris propriis & recta ratione studendi, c. IV. art. IV., apud Cren. Meth. T. II. p. 208.

§. VII. Sed cum quædam tantum ex opere laudato ad institutum nostrum pertineant, majori jure huc referendi erunt *περὶ τῶν ἀρεσκόντων τῆς Φιλοσοφίας*, sive de placitis Philosophorum libri V., in quibus, quænam eorum de rebus naturalibus fuerint sententiæ, breviter plerumque commemorat. Agit verò Libri I. cap. 1. de natura, 2. de discrimine principii & elementi, 3. de principiis, 4. quomodo coaluerit mundus, 5. an unicus sit mundus, 6. unde DEI notitiam homines habuerint, 7. quid sit DEus, 8. de geniis & heroibus, 9. de materia, 10. de idea, 11. de causis, 12. de corporibus, 13. de minimis, 14. de figuris, 15. de coloribus, 16. de sectione corporum, 17. de mixtione & temperatione, 18. de inani sive vacuo, 19. de loco, 20. de capacitate, 21. de tempore, 22. de natura sive substantia temporis, 23. de motu, 24. de ortu & interitu, 25. de necessitate, 26. de natura sive substantiâ necessitatis, 27. de fato, 28. de natura fati, 29. de fortuna, 30. de natura. Libri II. cap. 1. de mundo, 2. de
B figura,

figura, 3. an mundus animatus sit & à providentia gubernetur, 4. an
 expers interitus sit mundus, 5. unde alatur mundus, 6. à quo elemento mun-
 di opificium sit orfus DEus, 7. de ordine mundi, 8. quæ causa sit incli-
 nationis mundo, 9. de eo, quod est extra mundum: an id vacuum sit,
 10. quæ partes mundi dextræ sint, quæ sinistra, 11. de cælo, quæ ejus na-
 tura, 12. in quot orbes cælum dividatur, 13. quæ stellarum natura sit, ac
 quomodo conflatae sint, 14. de figura stellarum, 15. de ordine stella-
 rum, 16. de latatione & motu stellarum, 17. unde illuminentur stellæ, 18.
 de stellis, quæ dicuntur Castores five gemini, 19. quid denuncient stellæ,
 & quomodo fiant hyems atque æstas, 20. quæ Solis natura sit, 21. de ma-
 gnitudine solis, 22. de forma solis, 23. de conversionibus solis, 24. de so-
 lis defectu, 25. de natura lunæ, 26. de magnitudine lunæ, 27. de forma lu-
 næ, 28. de illuminatione lunæ, 29. de lunæ defectu, 30. de aspectu lunæ,
 & cur terrestris videatur, 31. quanto intervallo luna à sole absit, 32. quan-
 tus cuique planetarum sit suæ circumitionis annus. Libri III. cap. 1. de
 lacteo circulo, 2. de cometis, trajicientibus ac trabibus, 3. de tonitribus,
 fulguribus, fulminibus, presteribus, typhonibus, 4. de nubibus, pluviis,
 nive & grandine, 5. de iride, qui est arcus cælestis, 6. de virgis, 7. de ven-
 tis, 8. de hyeme & æstate, 9. de terra, tum quæ natura ejus tum quæ quan-
 titas, 10. de natura terræ, 11. de terræ situ, 12. de inclinatione terræ, 13. de
 motu terræ, 14. in quot zonas distincta sit terra, 15. de terræ motibus,
 16. de mari, quæ ejus origo, & qui sit amarum, 17. de causis æstus maris,
 18. de area, quæ halos dicitur. Libri IV. cap. 1. de Nili incremento, 2.
 de anima, 3. anima corpus an sit & quæ ejus substantia, 4. de animæ par-
 tibus, 5. de principe animæ parte, 6. de motu animæ, 7. de animæ im-
 mortalitate, 8. de sensibus & sensibilibus, 9. verine sint sensus, veræ i-
 maginationes, 10. quot sint sensus, 11. quomodo sentiamus, notionem
 animo orationemque concipiamus, 12. quid inter se differant phantasia,
 phantason, phantasticum, phantasma, 13. de visu, quomodo videamus,
 14. de imaginibus, quæ in speculis videntur, 15. viderine possunt tene-
 bræ, 16. de auditu, 17. de olfactu, 18. de gustatu, 19. de voce, 20. an vox
 sit corporis expers & quomodo fiat echo, 21. unde sensus animæ obtingat,
 & quæ pars sit ejus princeps, 22. de respiratione, 23. de affectionibus cor-
 poris & an in animam ea redundent. Libri V. cap. 1. de divinatione,
 2. quæ insomniorum ratio, 3. quæ sit seminis natura, 4. an semen sit cor-
 pus, 5. an foemina etiam semen promittant, 6. quomodo conceptio fiat,
 7. quomodo

7. quomodo mares nascantur, quomodo foeminae, 8. monstra uti nascantur, 9. cur mulier saepius concumbens non concipiat, 10. quomodo gemini & tergemini nascantur, 11. quæ causa, quod proles parentum aut etiam progenitorum similitudinem refert, 12. quomodo aliorum, non parentum forma, similes fiant, 13. quomodo cum mulieres tum viri steriles reddantur, 14. cur mulæ steriles, 15. an foetus in utero sit animal, 16. quomodo alatur foetus, 17. quid primum in utero absolvatur, 18. cur foetus, qui septimo mense in lucem editur, vitalis sit, 19. de ortu animalium, quomodo exstiterint, & an caduca, 20. genera animantium quot sint, & an omnia sensu ac ratione prædita, 21. quantum tempus ad formandum in utero animalis foetum requiratur, 22. quibus elementis constet in nobis uniuscujusque generis membrum, 23. quando & quomodo incipiat homo perfici, 24. quæ causæ sint somni & mortis, 25. ad animamne an verò ad corpus pertineant somnus & mors, 26. de plantarum incremento, 28. unde appetitus animalia, unde voluptas incessat, 29. febris ut fiat, & an ea sit affectio alius affectionis appendix. 30. de sanitate, morbo & senectute.

§. VIII. Quamvis autem quinque illos de Philosophorum placitis libros non esse Chæronensis nostri, sed junioris Plutarchi, arbitretur Vossius p. 210., vix tamen assensum apud quenquam inveniet. Quæ enim illi suppetat ratio sufficiens omnique major exceptione, quæ suam probare sententiam possit, ullo nondum licuit indicio cognoscere. Altera ex adverso sententia, Plutarcho seniori opus hocce tribuens, evidenti & manifesta gaudet ratione, quæ nimirum hæc est, quod in catalogo operum Plutarchi, à Lampria filio confecto, hi quoque libri compareant. Quod majoris sanè est autoritatis argumentum, quam ut vel ulla ratione, quæcunque tandem illa fuerit, labefactari possit. Cæterum sequentem in modum de isthoc commentario judicat V. C. Dan. Georg. Morhofius Polyhist. Tom. II. Lib. I. c. VII. §. VII. *Ejus exstat Dissertatio de placitis Philosophorum, ubi velut per lancem saturam proponit varias Philosophorum veterum sententias.*

IX. Porro ad cognoscendas Philosophorum sectas aliquantulum conferre censendæ sunt *Vita decem Sophistarum sive Rhetorum*, quas (frustra quibusdam contradicentibus) noster exaravit Plutarchus. Nam in illis percensendis ita versatur, ut placita quoque eorundem attendat. Hoc verò ordine isti semet excipiunt: Antiphon, Andocides, Lyfias, Isocrates,

tes, Isæus, Æschines, Lycurgus, Demosthenes, Hyperides, Dinarchus. Scripsit & *Quæstiones Platonicas* itemqve *de anima procreatione*, sicut ea in Timæo Platonis describitur, commentarium: quo in utroqve opusculo, haud abs re huc referendo, varia comparent ad sectæ Platonica decreta accuratius percipienda perquam necessaria. Elucubravit præterea Commentarium *περὶ Στωικῶν ἐναντιωμάτων* five *de Stoicorum repugnantiis*, aliumqve *de communibus notitiis adversus Stoicos libros*; quorum utroqve, aliqualis instar *ἐπιγωγῆς* in Stoicorum placita, quem ea fugiunt, haud incommodè uti poterit. Et deniqve de eo, *non posse suaviter vivi secundum Epicuri decreta*, Dialogum consignavit, iudice Fabricio l. c. p. 364. lectu dignissimum: cui libellus subjungitur adversus Colotem Epicureum, quod secundum aliorum Philosophorum decreta ne vivi quidem possit, audacter asserentem. In quo æque ac laudato jam dialogo de Epicurea secta sollicitos non pauca eandem illustrantia reperiuntur planè confido. De posterioribus his Plutarchi scriptis non immeritò iudicat Morhofius l. c. *ea tanquam vetustatis fragmenta magni faciendæ esse*.

§. X. Visis, quæ Sectis Philosophorum pernoscendis inserviunt, Plutarchi monumentis, reliquum est, ut de variis eorundem editionibus in medium nonnulla proferamus. Id verò, cum Vitæ parallelæ primum operum Plutarchicorum Tomum constituent, cætera verò, quæ commemoravimus, Moralibus scriptis, altero comprehensis Tomo, inserta reperiantur, commodius fieri nequit, quam si ipsorum Operum editiones curatius inspiciantur. Hæc enim quoties fuerunt edita, toties quoqve singula nobis adducta lucem vidisse publicam ultrò intelliguntur: nisi quod observandum veniat, de placitis Philos. libros græcè & latinè ex versione Guil. Budæi seorsim prodidisse Basil. 1531. 4to., Platonicas quæstiones cum interp. Ludov. Nogarolæ, Venet. 1552. 4., Commentarium deniqve de Stoicorum repugnantiis ex versione Eduardi Henrysonis Lugd. 1555. 8. *Græcè* itaqve primus edidit *Moralia* Aldus, Venet. 1509. fol. ac decem post annis altero volumine addidit *Vitas parallelas*, anno jam 1517. ead. formâ majori Florentiæ apud Phil. Juntam, minus licet ordinatè ac emendatè, excusas. Successit editio Basileensis, *Vitarum* 1523. apud Frobenium, & *Moralium* 1542. fol. ex officina Frobenio-Episcopiana. Integer vero Plutarchus ibidem ex eorundem officina prodit 1560. fol. Aliquanto post, anno nempe

1572.

1572. Parisiis ex H. Stephani castigatione VI. Voll. in 8. ac denique Francof. apud Wechel. 1605. fol. *Latine* Vitæ parallelæ (quarum nonnullas jam dudum, a. scil. 1478., Venet. fol. ediderat Jo. Lopus) ex variorum interpretatione prodierunt Paris. 1521. Basil. 1542. & 1554. fol., è versione Herm. Cruserii Basil. 1564. 1573. fol. & Lugdun. 1566. tribus Volum. 12. Editus porro est Plutarchus Guil. Xylandro interprete, cum ejusdem notis (quæ & seorsim prodierunt Basil. 1561. fol.) Heidelb. 1561. fol. Basil. 1579. VI. Volum. 8. & Fcf. 1592. 8. apud Wechelium totidem voluminibus. Iterum prodierunt Vitæ ex versione Cruserii & Moralia ex variorum interpretatione, apud H. Steph. 1572. VI. volum. 8. *Græcè* denique & *Latine* vulgatus est primum Plutarchus Francof. apud Wechellii hæredes 1599. fol. Deinceps ibidem ex officina Dan. & Dav. Aubriorum ac Clem. Schleichii, 1620. in fol. Quæ in editione accessit liber de fluminibus, cum versione & notis Mauffaci, ejusdemque judicio de scriptis Plutarchi & Lampriæ de iisdem libello. Denique Parisiis eodem anno eademque forma typis regiis prodiit; cui addita est vita Plutarchi à Jo. Rualdo scripta, unâ cum illius in loca Plutarchi sive *σφάλματα* insigniora 72. animadversionibus. Vide prolixè celeb. Fabricium l. c. §. VII. p. 371. seqq.

§. XI. Nostrum verò cum non permittat institutum singulas excutere operum Plutarchicorum editiones, priorem tantum è Græco-latinitis penitus perlustrare operæ pretium ducimus. Distincta est illa duobus voluminibus, quorum Vitas parallelas alterum, alterum Moralia complectitur. Inscriptio in fronte legitur sequens: *Πλατάρχῃ χαίρωνίως τὰ σωζόμενα πάντα.* Plutarchi Charonenfis, quæ exstant, omnia, cum latina interpretatione Herm. Cruserii, Guil. Xylandri, & doctorum virorum notis & libellis variantium lectionum ex MSS. Codicibus diligenter collectarum, & indicibus accuratis. Francof. apud Andree Wechellii hæredes, Claud. Marnium & Jo. Aubrium, M. D. XCIX. Versâ paginâ Typographorum dedicatio comparet ad Jo. Vulcobium, in sacro Consistorio Regis christianissimi Consiliar. & ad Cæsarem Exlegatum; cujus humanitatem variis oblatis Codicibus sibi præstitam depredicant, summisque Plutarchum laudibus extollunt. Proximum nactus est locum omnium Plutarchi operum hac in editione comparentium catalogus. Tum post citata Suidæ de nostro verba & cujusdam in illum epigramma, legitur vita Plutarchi è Xylandro, in qua cum de ætate aliis-

te aliisque, tum de parallelis præcipuè vitis agitur. Sequitur Lampriæ scriptorum Plutarchi catalogus græco-linguis, quem, ab Andr. Schotto sibi donatum, Franc. Raphelengio transmiserat Dav. Hœschelius, ceu ex huius ad istum epistola catalogo subijuncta patescit. Succedit Herm. Cruferii epistola dedicatoria ad Philippum Hisp. Regem, & ad Lectorem præfatio, quarum neutra laudes insignis Plutarchi filet. Subjungitur denuo index eorum, quæ Tomo I. tractantur, unà cum Autorum syllabo alphabetico, quorum testimonia citat Plutarchus, quem, accommodatum ad paginas editionis utriusque Græco-linguæ Fcfortensis & tertiæ Parisiensis, reperias quoque apud Fabricium l. c. p. 374. seqq. Quæ omnia consequuntur vitæ parallelæ cum versione Cruferii è regione posita, hoc præfixo titulo: *Plutarchi Charonensis omnium, quæ exstant, operum Tomus primus, continens vitas parallelas græcè & latine.* Annectuntur illis Cruferii, Xylandri & H. Stephani annotationes, variæ item lectiones variis è codd. collectæ, ultimò loco indici rerum & verborum memorabilium relicto. Tomus II. hoc gaudet rubro: *Plutarchi Charonensis omnium, quæ exstant, operum Tomus secundus, continens Moralia, Guil. Xylandro interprete.* Qua de causa huius viri scriptis inditum sit Moralium nomen, in dedicat. ad Ludovicum Comitem Palatinum Rheni, primum obtinente locum, sequentibus exponit interpres: *Moralia titulum ei faciunt itaq; vulgò appellant, sive quod majorem partem putant esse de philosophia morali, sive quod ab ea Sophia parte, quæ vitæ humanæ maximè est necessaria, tanquam à potiori denominandam totam horum opusculorum duxit congeriem, quicunq; tandem huius indicis autor est. Nam moralia quidem sunt & multa & admiranda doctrine atq; venustatis. Sed audire velim, quænam pars porro philosophiæ, quæ facultas, quæ litteratæ philologiæ portio non plurimum ex his ipsis disci Plutarchianis & illustrari queat opusculis.* Dedicacionem sequitur ejusdem Xylandri præfatio, qua de versione sua & notis summo labore confectis verba facit. Post illam ipsa opera moralia, præfixo tamen eorundem &, quos in iisdem Plutarchus citat, autorum catalogo, cum versione Xylandri comparent: quibus interpretis, unà cum Stephanicis, subnectuntur Annotationes. Ad calcem denique accedunt variæ lectiones & index rerum pariter ac verborum copiosissimus.

CAP.

CAPUT V.

DE
PHILOSTRATO LEMNIO.

S. I.

Varios inter Philostratos, quos ex historiarum monumentis magnâ cum diligentia eruerunt Clarissimi Viri, Jo. Meursius Diff. de Philostratis, Vossius de Hist. Græc. lib. II. c. XV., Jonsius de Scriptoribus Hist. phil. lib. III. c. XIV. & Fabricius in ἀποπισματιω de Philostratis, comparituro propediem in Bibl. Græc. lib. IV. Part. II. (quod inter alia præfationi suæ Philostratis nuper præmissæ subnexuit Excell. D. Gottfridus Olearius), tres exstiterunt ex Lemno insula oriundi. Et primus quidem communiter floruisse dicitur sub Nerone, ita tamen ut ad Trajani usque ætatem, A. C. 97. imperium adepti, vitam produxerit. Cumque is hęc pacto longiori intervallo à secundo Philostrato, imperante Antonino Philosopho in lucem edito, distet, quàm ut parens ejus (quod asserit in Lexico Suidas) saluari possit; in eam descenderunt opinionem Scriptores, ut avum vel proavum certè ejusdem exstitisse illum pro vero certoque affirmare nulli detrectarent. Quod si verò Suidæ verba, quibus unicè inhærere illi videntur, curatius paulò inspiciantur, primum secundi dicere patrem nil prohibet. Ea sequentis sunt tenoris: φιλόστατος ὁ πρῶτος, λήμνιος, υἱὸς Βήρυ, πατὴρ δὲ τῷ δευτέρῳ Φιλοστράτῳ, σοφιστὴς ἢ αὐτὸς, σοφιστεύσας ἐν Ἀθήναις, Ἰπὶ Νέρωνος ἔγραψε λόγους πανηγυρικὰς. In quibus postrema hunc in modum legenda censet Olearius p. 2. Σοφιστεύσας ἐν Ἀθήναις, Ἰπὶ Νέρωνα ἔγραψε, λόγους πανηγυρικὰς &c. Asserit nempe Vir eruditiss., in vulgatis pro Νέρωνα lectum fuisse Νεεωνος; hanc verò phrasin quendam luculentius expositurum adjecisse γαγενῶς, idque contra mentem Suidæ, quem hoc voluisse autumat: *Philostratum primum, Lemnium, filium Veri, patrem verò secundi Philostrati exstitisse, eumque ipsum Sophistam fuisse atque Athenis docuisse, scripsisse contra Neronem, orationes item panegyricas &c.* Ut adeò statuat, nullam hic fieri mentionem ætatis primi Philostrati. Ne verò objicere quis possit, haud esse verosimile, post Neronis excessum contra eundem scripturum fuisse Philostratum

Philostratum, exemplis quibusdam ostendit Olearius, Tyrannos, jam tum denatos haud raro Sophistis dicendi ansam præbuisse: quemadmodum de Luciano speciatim constat, quod adversus Neronem, jam dudum ex vivorum numero sublatum, calamum strinxerit. Istam autem sententiam, in Suidæ verbis nil haberi de ætate Philostrati, ex sequentibus luculentissime patere innuit, ut in quibus dicatur: *contra Antipatrum quoque nostrum scripsisse Philostratum*. At hujus Antipatri, Severi adhuc ætate clari, cum ejusdem filii, Getæ & Caracallæ, præfuisse perhibeatur, certum est Philostratum secundum, juvenis cum esset, auctorem exstitisse, cujus de vita inter reliquos Sophistas exposuit. Ut sane Philostratus primus Antipatri, quem est scripto aggressus, æqualis fuisse statuendus sit.

§. II. Constat ergo, satis commode primi istius Philostrati filium statui secundum, quem natum ferunt imperante Antonino Philosopho vitamque (teste Suida in Lexico) produxisse usque ad Philippum A. C. 244. imperio præfectum. Imperante quidem Severo eundem floruisse aperte testatur Hesychius Milesius lib. de viris eruditione claris p. 66. edit. Steph. 1594. 8.: *Φιλόστρατος ὁ Λήμιος, ὁ τὰς εἰκόνας γραΐψας, υἱὸς ἦν τῶ πρώτου σοφιστῆ Φιλοστράτου Λημνίου. ἔγραψε δὲ δύο βιβλία ἐπιπέτυσσεν ἐν Ἀθήναις, εἶπε ἐν Ῥώμῃ ὑπὸ Σεβήρου τῷ βασιλέως*. Imò libros de vita Apollonii ipse semet Juliae mandato conscripsisse asserit lib. I. c. 3. Hæc autem conjux fuerat Severi Imperatoris. Philostratum denique tertium (cui vitas Sophistarum adscribunt nonnulli) Vossius l. c. vixisse asserit sub Macrino & Heliogabalo; quamvis ulterius vitam protendisse censendus sit. Fuerat Philostrati secundi ex fratre nepos, ceu testatur Suidas, his verbis: *Φιλόστρατος Νεβριανῶ ἀδελφώπαις Φιλοστράτου ἔδευτέρου, Λήμιος, καὶ αὐτὸς σοφιστῆς, καὶ παιδείας ἐν Ἀθήναις, πλευτήσας δὲ καὶ ταφῆς ἐν Δήμῳ, ἀκκυστὴς καὶ χαμβρότος γενῶν ἔδευτέρου Φιλοστράτου*. Cæterum de Philostrati secundi, cujus h.l. ratio nobis habenda est, patria non conveniunt Scriptores. Eusebius adversus Hierocle, Atheniensem fuisse asserit. Photius in Bibl. cod. 44. & 150. cumque eo Tzetzes Chiliad. VI. hist. 45. Tyrrium faciunt Sed Eusebio Philostratum dictum Atheniensem, quod diu docuisset Athenis, censet Jo. Meursius Diss. de Philostratis. Posteriores verò vitiosis usos codicibus coniectat Vossius, in quibus fortasse *Τύριος* pro *Μύριος* lectum fuerit.

Μύριος

Múeiva enim inter civitates Lemni haud postrema existit, quæ cunas Philostrato potest præbuisse.

§. III. Philosophiæ Pythagoricæ addictiorem fuisse Philostratum nostrum asserit P. D. Huetius in illustri Evangelicæ Demonstrationis opere, propos. IX. cap. CXLVII, §. V. p. 569. edit. Paris. M DC. LXXIX. fol. *Mibi verò, inqviens, rem introspectanti, Pythagoricæ Philosophiæ penitus videtur addictus fuisse Philostratus. E qua disciplina quicunq; prodierunt, -- in Ιαυματωνίας & παρδοξολογίας fuerunt pronissimi, nihil non & fingere prompti & credere. --- Vel primum legatur Philostrati caput, ex quo, velut ex ungue leonem, hominis propensum in Pythagoræ deliramenta animum & supersticiosam credulitatem deprehendas. Quamvis autem apodicticè illud asseri nequeat, id sane indubium est, Christianum non fuisse. Cujus rei in historia Apollonia ad eò manifesta occurrunt indicia, ut cæcus sit, qui videre illa nequeat. Recte Olearius Diss. prælim. Apollonii Vitæ præmissa p. 35. Philostratum sacris paganorum in istius hominis (Apollonii) auctoritate præsidium questivisse tota ejus historia loquitur. Et p. 39. Statuunt autem viri eruditi scopum sive Julii sive Philostrato sive utrique propositum eum fuisse, ut Christo Apollonium opponerent, ejusque philosophiam ac mores illius doctrine & institutis; ut ita sive Imperatorem Caracallam, à sacris christianis animo non alienum, alumnis ejus mitiorem de iis sententiam ipsi instillantibus, sive alios quoscunq; in gentilibus superstitionibus, quarum strenuum ubiq; se vindicem gerit ac instauratorem Apollonius, confirmarent. Vide & p. 36. Conf. Huetium l. c. p. 566. & W. E. Tentzelium Coll. mensr. 1691. p. 521.*

§. IV. Ex variis Philostrati scriptis duo hõc locò nobis veniunt commemoranda, quorum prius *Vitam Apollonii Tyanei*, octo libris descriptam, complectitur. De eo hunc in modum Vossius l. c. *Philostratus immortalis est nactus memoriam libris octonis de Apollonii vita. In ea se proficitur sequi tum Damidem Assyrium, de quo supra dictum nobis; tum alios duos, qui & ipsi Philostrati vitam scripserint, nempe Maximum & Meragenem, quorum mentionem facere dicebamus Joan. Tzetzem Chil. II. Hist. LX. Sed seu vanos sequitur duces, seu ipse multa comminiscitur, magna Homeri mendacia majoribus mendaciis corrigit, ut de eo refert Vives lib. V. de tradendis disciplinis. Verba illa Vivis leguntur p. m. 354. ed. Lugd. 1551. & Heroica tantum Philostrati concernere*

C

videntur,

videntur, sicut & notatum Oleario præf. p. 15. Interim in plurimis Historiam quoque Vitæ Apollonii mendacem esse idem fatetur Vives p. 357. quo cum contende Huetium l. c. §. IV. p. 568. De ead. Hist. Gisb. Longolius in Dedic. editionis lat. 1532. 8. ad Mart. ab Oeda Kempensem, J. U. D., Præpositum Arnemensem & majoris Ecclesiæ Colonienfis Canonicum, seq. in modum: *Non simpliciter & (ut ita loquar) nude Tyanei philosophi, quem cæca gentilitas Deo Opt. Max. comparare scil. ausa fuit, vitam hic describit (Philostratus), sed ad lectoribus tædium, quod in terrici ac severi hominis gestis recensendis obrepere posset, discutiendum, multam & frequentem captavit occasionem (quod vehementer displicet Huetio l. c. §. III. p. 565. seq.) quo libros hosce multarum & variarum rerum cognitione refarciret & quasi condimentis quibusdam suaviores redderet. Quare etiam horum bonam facile partem ad Cosmographiæ notitiam spectare nemo mihi negaverit, qui vel primas Apollonii peregrinationes inspexerit. Quæ cum mirifica sit, multa etiam mirifica tibi, quorum apud alios Scriptorum nulla aut perquam exigua mentio sit, hic liber dabit. India ferè tota & quicquid illic memoratu dignum est, graphicè expressum est. Quid dicam, quàm multa de Babyloniis, Magis, Chaldeis, Medis, Assyris, Arabibus: quàm multa de Egypto, de Nilo & cæteris mundi mirabilibus hic prodita sunt? De stylo laudatus Vossius: Est is elegans, perspicuus, suavis, ut etiam censet Photius. Plura vide apud Nanum Tillemontium in vita Severi artic. XXXVII. ab Oleario præf. suæ subnex. p. 20.*

§. V. Alterum opus Vitas Sophistarum duobus libris comprehendit. Quod ipsum nostrò Philostrato tribuunt ex veteribus Eunapius & Suidas, ille quidem in Procem. Vitarum p. 5. 6. edit. Genev. 1616. 8. hic vero in Lexico. Equidem non pauci recentiorum, nominatim Joh. Meursius, Vossius, Jonsius, Tillemontius, Schraderus, alii, tertium Philostratum illius autorem constituunt: sicut & quosdam jam olim eidem ipsum adscripsisse Suidas in Lexico commemorat his verbis: *Τῶν δὲ τῶν σοφιστῶν βίαις ἐπ' αὐτὸν ἀνατίθειν*; sed ostendit in laudata præf. Olearius argumentis non contemnendis nostrò illud Philostrato deberi. Dabo ex prolixioribus ejus sequentia, quæ p. 5. & 6. leguntur: *Contra verò planè non intelligo, quâ fronte in hoc de Sophistarum vitis opere scriptorum de Apollonio mentionem facere potuerit posterior aliquis Philostratus, sique cognatione junctus ei, qui vitam Apollonii scripsit, nulla consanguinei sui, parentis loco sibi colendi, facta mentione, ejus illustre*

illustre adeo ob hanc ipsam historiam existeret nomen. Imo præterea in modò allegata Alexandri Peloplatonis vita, ubi famam esse narrasset Sophistarum vitarum autor, matrem Alexandri in Tyanensis venisse amplexus, spe allectam similis ipsius prolis, natamq; ex illo congressu Alexandrum fuisse, statim subjungit: τὲν μὲν δὴ ὅποισι μὲν τῶν ποιεῖ ἐπιφανῶν, εἰρηται σαφῶς ἐν τῷ εἰς Ἀπολλωνίου, hoc verò quam sit multis modis parum verosimile dictum est luculenter in Commentariis de Apollonio. Atque ille profecto stylus est propria scripta elegantium, non aliena. Nec prætermisurus fuisset junior Philostratus occasionem avunculum suum ob præclarum opus insigni elogio ornandi, maxime cùm locus, quo ἐπιφανῶν istam fabellam esse persuadeat, luculentus adèd occurrat in Tyanensis vita, quàm à Philostrato habemus lib. I. c. XIII. Porro Eunapius eadem in vitas Sophistarum præfatione & vitam Apollonii citat & Sophistarum historiam, ne minimo quidem indicio factò, diversos esse istos autores, ut eum saltem ejusdem hominis fœtus geminum istud opus esse credidisse sit manifestum. Deniq; si ex stylo formare judicium licet, notabilis ejus in vita Apollonii & in Sophistarum historia est similitudo; adèd idem utriusq; observatur rariorum apud alias autores phrasum usus, tantæ sententiarum atq; opinionum cognatio, ut non facile tantæ similitudinis in aliis scriptoribus occurrat exemplum &c.

§. VI. Inscriptit Vitas hæc Philostratus Antonio Gordiano Consuli, quem λαμπρότατον itemqve Musarum principem appellat eidemqve significat, duobus semet libris (non autem quatuor, ut mendose Suidas) vitas has descripsisse, altero, quo Philosophos, altero, quo Sophistas sit persecutus. Post dedicationem comparet & Proœmium, in quo Sophisticam dispescit in veterem & recentiore. Illius principem constituit Gorgiam, hujus origines ad Æschinem refert. Eorum verò, qui servata temporum serie in utroq; libro celebrantur, hæc sunt nomina. Libro Imò Eudoxus Cnidius, Leo Byzantius, Dio Ephesus, Carneades Atheniensis, Philostratus Ægyptius, Theomnestus Naucratis, Dio Prusæus, Favorinus Arelatenis, Gorgias Leontinus, Protagoras Abderites, Hippias Eleus, Prodicus Chius, Polus Agrigentinus, Thrasymachus Carthaginiensis, Antiphon Rhamnusius, Critias Atheniensis, Isocrates, Æschines, Nicetes Smyrnæus, Isæus Assyrius, Scopelianus, Dionysius Milesius, Lollianus Ephesus, Marcus Byzantius, Polemo Laodicenus, & Secundus Atheniensis. Libro II. Herodes Atheniensis, Theodotus, Aristocles Per-

gamus, Antiochus Ægæus, Alexander Seleuciensis cognomento *πυλο-
πλάτων*, Varus Pergæus, Hermogenes Tarsensis, Philager Cilix, Aristi-
des Adrianensis, Adrianus Phœnicus, Chrestus Byzantius, Pollux Nau-
cratites, Pausanias Cappadox, Athenodorus Ænensis, Ptolemæus Naucrati-
tes, Evodianus Smyrnæus, Rufus Perinthius, Oenomarchus Andreus,
Apollonius Naucrati, Apollonius Atheniensis, Proclus Naucrati, Phœnix
Thessalus, Damianus Ephesus, Antipater Hierapolitanus, Her-
mocrates Phocensis, Heraclides Lycius, Hippodromus Thessalus, Varus
Laodicensis, Quirinus Nicomediensis, Philiscus Thessalus, Ælianus Ro-
manus, Heliodorus Gallus, & Aspasius Ravennas.

S. VII. Cæterum ut, quò Eruditis locò habeantur hæ Sophi-
starum vitæ, cuilibet innotescat, en quorundam de iisdem iudicia. Eu-
napius Sardiæ Procem. Vitarum p. 5. *Philostratus Lemnius præcipuo-
rum* (Philosophorum ac Sophistarum) *vitas velut in transcurso venu-
stâ dictione delibavit.* Nic. Gerbelius præf. præmissa versioni Bonfinii
Operis de Sophistarum Vitis, 1516. 4to. *Dignus profectò laude multâ
Gremperius, qui tam pretiosum thesaurum sub modio non occuluit, sed
protulit in medium communemq; fieri voluit iis omnibus, qui ex aliorum
vita bona tanquam formula quadam suam facere cupiunt meliorem.* Et
post multa: *Vicit hæ tandem ratio, futurum forsitan aliquem erudi-
tum virum, qui tam elegantem librum, tot salibus, tot sententiis, tot
rebus dignis, ut ab omnibus cognoscantur, refertum, suo restituat can-
dori.* Olæarius Diss. prælim. præmissa his Vitis p. 473. *Philostrati Vi-
tas Sophistarum, eloquentia pariter ac literaria historie studiosis commen-
datissimum opus, communem istam bonorum librorum cladem effugisse,
hoc magis literariæ rei est gratulandum, quò major ejus non tantum ob
rerum varietatem styliq; nitorem jucunditas, verum & ob censuram cele-
berrimorum eloquentiæ Professorum, fragmentaq; ex eorum orationibus
varii characteris excerpta, utilitas est.*

S. VIII. Utiusque operis editiones postremò quod concernit, Græcè
prodiit Vita Apollonii, unâ cum Eusebio adversus Hieroclem; Venet. ex
Aldi officina 1502. f. & 1538. 8. Latine ex Alemanni Rhinuccini versione
apud eundem Aldum 1502. f. & postmodum ex Longolii recognitione, cum
adjectis ad marginem scholiis, Colon. 1532. 8. Græcè denique & latine
cum Rhinuccini versione, à F. Morello recognita, adjectis Eusebii libro
adversus Hieroclem reliquisque Philostratorum scriptis & Callistrati ec-
phrasibus,


phrasibus, Paris. 1608. fol. Vide Fabricium l. c. Sophistarum verò Vitæ græcè primum editæ sunt Venetiis ex Aldina 1507. fol. (Vide Struvium In-
 trod. p. 370.) Ibidem unâ cum Heroicis aliisque 1550. 8. (Olear. præf. cit. p. 8.) Ex versione Ant. Bonfinii (eodem teste Oleario l. c.) primâ vice 1516. 4to. ex ædibus Schürerianis, sine loci mentione, cum præf. Nic. Gerbelii. Deinceps cum variorum Vitis virorum illustrium Basil. apud Henricum Petri 1563. fol. Græcè & latinè unâ cum Vita Apollonii aliisque curante Morello Paris. 1608. fol. De qua editione vide Fabricium l. c. & Olearium p. 8. 9.

§. IX. Post Morellum de Philostratorum operibus junctim edendis successivè cogitarunt Jo. Georg. Grævius, Rich. Bentlejus, Henr. Muhlius. Et Muhliana quidem editionis primum folium Lipsiæ excusum in Dial. mensr. 1691. p. 521. exhibet Tentzelius. Cum verò ea spes decollasset, eruditorum tandem satisfecit expectationi Gottfr. Olearius, cujus editio omnium nitidissima, ex superioris anni nundinis paschalibus primum ad nos allata, hoc insignita est rubro : *Τὰ τῶν Φιλοσόφων Λεπόμενα ἅπαντα.* Philostratorum quæ supersunt omnia. Vita Apollonii libris VIII. Vitæ Sophistarum libris II. Heroica, imagines priores atq; posteriores, & Epistola. Accessere Apollonii Tyanensis Epistola, Eusebii liber adversus Hieroclem, Callistrati descript. statuarum. Omnia ex MSS. Codd. recensuit, Notis perpetuis illustravit, versionem totam ferè novam fecit Gottfridus Olearius. Lipsiæ apud Thomam Fritsch. M. DCCCLIX.

§. X. Ut verò, quæ singula hæc propinet editio, rectius percipi possit, et omnium qualemcunque recensum! Post præliminaria, quæ dedicatione Editoris ad Frid. Augustum, Electoratus Sax. hæredem, ejusdem præfatione, varia ad Philostratorum historiam facientia aliaque plura prolixè commemorante, & eruditorum quorundam, utpote Suidæ, Vossii, Meursii, Jonfii, Tillemontii & Fabricii, Dissertationibus de Philostratis absolvuntur, I. comparet Editoris Dissertatio de Apollonio & Vita hujus à Philostrato descripta. Succedit II. Conspectus chronologicus vitæ Apollonii. III. Ipsum Philostrati opus de vita Apollonii libris VIII. cum versione lat. è regione posita. IV. Joh. Tzetæ de Apollonio versus politici. V. Editoris Diss. præliminaris de Epistolis Apollonii aliisque ejusdem scriptis. VI. Apollonii Epistola XCV. cum præfixo eorum, ad quos exarata fuerant, catalogo. VII. De Hierocle veterum Scriptorum, Lactantii puta, Epiphani, Aneæ Gazæ, & Metaphra-

stæ vitæ Aedesi, testimonia. VIII. De eodem recentiorum Dissertationes, utpote Jonſii, Pearsoni & Dacerii. IX. Eusebii liber adversus Hieroclem, sive Animadversiones in Philostrati de Apollonio Tyanensi Commentarios ob institutam cum illo ab Hierocle Christi comparationem adornata. X. De Philostrati Vitæ Sophistarum Editoris Dissert. præliminaris. XI. Nic. Gerbelii præfatio, præmissa Versioni harum vitarum Bonfiniana, editæ 1516. 4. ex ædibus Schürerianis. XII. Philostrati Vitæ Sophistarum. XIII. Conspectus chronol. Operis de Vitæ Sophist. XIV. Editoris Dissert. prælimin. ad Heroica, quâ Philostratum ex instituto Homeromastiga illo in opere egisse luculenter ostenditur & proluxa Homeromastigum historia exhibetur. XV. Philostrati Heroica. XVI. De utriusque Philostrati imaginibus deque Callistrato, cujus homonymi quoque commemorantur, Editoris Diss. prælim. XVII. Philostrati senioris Imaginum libri II. XVIII. Philostrati jun. Imaginum liber. XIX. Callistrati Ecphrases sive descriptiones statuarum. XX. Editoris de Epistolis Philostratorum Dissertatio, quâ unius non esse universas demonstratur. XXI. Philostratorum Epistolæ. XXII. Philostrati in imaginem Telephi Saucii Epigramma & fragmenta quædam. XXIII. Addenda Editoris ad Annotationes, quæ commodè satis cuilibet singulari per opera paginæ substratæ leguntur. Accedit denique XXIV. Index accuratissimus juxta & locupletissimus, isque triplex: primus locorum, ex autoribus, quæ in Notis allegantur, explicantur, emendantur & notantur: secundus rerum in toto opere occurrentium: tertius denique phrasium & vocum variorum. Plura addere temporis penuriâ prohibemur. DEO autem pro præstito nobis auxilio immortales persolvimus gratias, ingeminantes illud:

**SIT SOLI SUMMO GLORIA
SUMMA DEO!**



Litera-

Literatissimo DOMINO
F. T. TORCKIO,

Philosoph. Philolog. & Theol. Cultori indefesso,

S. P. P.
J. N. QVISTORPIUS, D. hodie Academ. Patr. Rect.
& Ministerii Superintend.

Quantam vetustate antissent Græci Romanis, argumento illud esse potest, quod Antiochus Syracusanus & multi alii, qui ipsas res Italas primi consignarunt, non latine scripserint, sed græcè. Optimum ergo factam mi TORCKI, quod jam altera vice cum Præside Tuo, Præcellentiss. Domino ROLLIO, Philosoph. Magistro quam maxime sedulo, de Scriptoribus Græcis publicè in consessu Eruditorum disserere non gravetis, & probetis non penitus periisse illos, quorum fidem juniorese pueri scis in rebus se fatentur sequi; siquidem ut Parentes dicuntur vivere in liberis: sic illi quodammodo supersunt in iis, à quibus rerum veterum toties laudantur Authores. Ut ex Præside Tuo atque ex te ipso fructum Ecclesia Orthodoxa aliquando capiat, animitus voveo. Abi igitur optime TORCKI Deo duce, amatus hic abs omnibus, amandus etiam posthac ab iis, quibus animi tui bonitas & indefessus labor innotescet. Vale! Dab. Rostoch. è Mus. meo inter varias occupationes die Hilarii Anno 1710.

Ingenii vires iterum dum prodere gestis,
Et cathedræ, quæ sis sedulitate, probas:
Laudis tua pro merito floret, majorque manebit
Gloria Te, Juvenis docte, Tuumque caput.
Post opus hocce novum novus hic Te prosperet annus,
(Sic precor) atque Tuum sit decus ipse DEUS!

Nobiliss. Dn. TORCKIO, Respondenti
doctissimo
ex animo gratulans

JOH. PETR. GRUENENBERGIUS, D.

Consil. Consist. P. P. & Superint. Duc.

Mecklenburgensis.

Nobiliss

Nobilissimo DNO. TORCKIO


S. P. P.

Cum Academia Nostra, ad quam ceu bonarum artium mercaturam ante biennium accesseras, valedicturus nunc sis, Amice dilectissime, haud abs re propterea dolor quidam in animo meo exoritur; sed talis tamen, quem laetitia haud vulgaris indivulso comitatur nexu. Doleo scilicet, quod illi, qui haecenus amico Temet ac auditore diligentissimo sunt usi, praesentia tua exoptata carere necesse habeant. In sinu vero gaudeo, quod domum haud revertaris vacuus, sed vario scientiarum refertus ornamento. Revoco mihi in memoriam admirandum Tuum in audiendis lectionibus studium, in enodandis dubiis iudicium, in solvendis quaestionibus acumen, quo ipso egregium eruditionis obtinenda in Re- publ. fructum non tam promittere visus es, quam representare. Nihil itaque superest, nisi ut Deum T. O. M., omnium gratia donorum largitorem elementissimum, indefessis fatigem precibus, velit tibi ulterius ex alto benedicere, omniaque cogitata Tua factaque eo dirigere, ut spem de Temet conceptam non adaeques solum, sed & longò intervallò superes. Vale!

Scrib. Rostoch. d. 13. Jan. A. MDCCX.

HENRICUS ASCANIUS Engelcken

Philos. atque SS. Th. D. hujusque P. P.



Nobilissimo atque Per-Erudito

DOMINO TORCKIO,

Amico suo desideratissimo,

S. P. P.

ALBERTUS JOACHIMUS de KRAKEVITZ,


SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.

Pluribus quidem commendari mererentur studia Tua & Virtutes Tuæ planè eximiae, siquidem id unice egisti, ut ea Tibi acquirereres, quæ faciunt ad præparandum & ornandum futurum Ecclesiae Ministrum; verum id ipsum neque tempus mihi hodie permittit, neque Tu meis indiges commendationibus, siquidem Temet ipsum omnibus bonis abunde probas. Quantum autem profeceris, testantur privata non tantum sed & publica specimina, ad quæ etiam spectat praesens, quod abiturien- sis ex hac Academia edis. Faxit Deus ut porro omnia feliciter cedant, sic nullus dubito Te futurum singulare Ecclesiae Decus. Dabam varias inter

occupationes, d. 13. Januar.

MDCCX.





SCRIPTORIBUS GRÆCIS POTIORIBUS.

Agis & Cleomenes, Tiberius & Cajus Gracchi, De-
Demetrius, Antonius, Dion, Brutus, Artoxerxes,

mmoperè has vitas deprædicant eruditi. Erasmus Ro-
atione apophthegm. apud Crenium Method. Tom. II.
egregie frugiferum appellat. Joach. Pastorius in pa-
XI. apud eundem l. c. p. 289. librum multifariæ fru-
ere magnus Jo. Caselius c. XXV. Προμολτικῆ p. 126.
scripsit principum Græcia & populi Romani inter se
nt plures diversorum temporum & gentium historia,
res gestas ipsi respiciendum fuit. Hic vero scriptor
aliis libris hoc agit sedulo, ut lectorem neutiquam
sed semper meliorem etiam dimittat: tum in his i-
a, nî fallor, incubuit, ut cujusq; mores & animum
eniæ civilis opes in nos transfunderet. Discendus ex
nibus aliis & præ multis aliis. Herm. Crusenius in
ad Philippum Hispaniarum Regem: Nullum reli-
us Vitis, quas invicem comparat, illustrium virorum
inorum. Plura lege in Vita Plutarchi à Xylandro
, Jo. Andr. Bosii Diss. Isag. de comparanda prudentia
Thom. Campanellæ Syntagm. de libris propriis & te-
i, c. IV. art. IV., apud Cren. Meth. T. II. p. 208.
ed cum quædam tantum ex opere laudato ad institutum
, majori jure huc referendi erunt *ἑξὶ τῶν ἀρεσκόντων*
sive de placitis Philosophorum libri V., in quibus,
rebus naturalibus fuerint sententiæ, breviter plerum-
Agit verò Libri I. cap. 1. de natura, 2. de discrimine
ati, 3. de principiis, 4. quomodo coaluerit mundus,
ndus, 6. unde DEI notitiam homines habuerint, 7.
de genis & heroibus, 9. de materia, 10. de idea, 11. de
oribus, 13. de minimis, 14. de figuris, 15. de coloribus,
porum, 17. de mixtione & temperatione, 18. de inani
loco, 20. de capacitate, 21. de tempore, 22. de natura
poris, 23. de motu, 24. de ortu & interitu, 25. de na-
tura sive substantia necessitatis, 27. de fato, 28. de na-
ortuna, 30. de natura. Libri II. cap. 1. de mundo, 2. de
B figura,